



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. IV. Quibus de causis sponsalia dissolvi possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

catione? Partem negantem tenet Covarruvias lib. 4. decretor. part. 1. cap. 1. quem ex Recentioribus sequuntur Pontius, & Meratius, probantque primo, quia ut hoc esset peccatum alterius speciei à fornicatione, oporteret quòd ratione sponsalium sponsus haberet aliquod jus ad corpus sponsæ, & è converso: hoc autem verificari nequit, quandoquidem sponsalia nihil aliud sunt, quàm mutua promissio futurarum nuptiarum; ex promissione autem non acquiritur jus ad rem promissam.

43. Secundò, sponsus & sponsa non aliam contrahunt obligationem, quàm ineundi suo tempore matrimonij, quia non aliter sibi promittunt: Sed non faciunt contra hanc obligationem, quando fornicantur: Ergo fornicando non peccant contra justitiam, sed solum contra castitatem & temperantiam.

Tertiò, Theologi docent sponsalia se habere ad matrimonium, sicut votum simplex Religionis ad votum solemne: At si ille, qui vovit ingredi Religionem, ante ingressum Religionis labatur in peccatum carnis, non peccat peccato mortali distincto à simplici fornicatione: Ergo nec desponsati, cum ante matrimonij celebrationem cum alijs fornicantur.

44. Denum, si tale peccatum specie differret à fornicatione, seu peccato intemperantiae, ad aliam luxuriæ speciem pertinere: Sed hoc dici nequit, cum D. Thomas 2. 2. quæst. 154. enumerans omnes luxuriæ species, nullam istius faciat mentionem: Ergo &c.

45. His tamen non obstantibus, sententia affirmans tale peccatum specie à simplici fornicatione differre, communior est apud Theologos, licet Sanchez lib. 1. disp. 2. id solum concedat quo ad sponsam, & eos qui cum ipsa fornicantur, non verò quo ad sponsum, & eas quæ fornicantur cum ipso; quia (inquit) injuria, quæ per fornicationem sponsi fit sponsæ, prudentum arbitrio levis est, cum ex illa sponsa nullam incurrat infamiam.

Dico breviter, Copula carnalis sponsæ & sponsi cum alijs, non solum est contra castitatem & temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, subindeque transfert peccatum fornicationis in aliam luxuriæ speciem.

46. Ratio primum est, quia licet per sponsalia sponsus non habeat jus in re ad corpus sponsæ, nec sponsa ad corpus sponsi, siquidem hoc jus non traditur nisi per matrimonium, bene tamen jus ad rem; quia promissio, quæ est in contractu sponsaliorum obligans ex justitia, est promissio faciendi proprium corpus, sponsi vel sponsæ corpus, & non tradendo ipsum alteri: inde enim inferitur, quod si alteri ipsum tradat, sicut tradit per fornicationem, peccat peccato speciali injustitiæ.

47. Præterea loquendo de fornicatione sponsæ, per eam longè se viliorē reddit, ita ut nullus honestus eam postea velleret ducere in uxorem; in quo certè gravem injuriam sponso irrogat. Insuper sese periculo concipiendi exponit, & consequenter sponsum periculo alienam prole tanquam propriam alendi & hæredem habendi. Loquendo verò de fornicatione sponsi, licet non sit tale periculum, neque ipse ipse redatur notabiliter vilior, sponsa tamen valde durum est, per se loquendo, videre sponsum, etiam tunc cum maxime deberet ab ipso amari, implicitum amore alterius, & in periculo susci-

Tom. V.

piendi ex ea liberos, qui postea communibus sumptibus alendi erunt, quique ipsius oculos perpetuò offendent.

Ad primum verò ex motivis in contrarium. 48. nego Minorem; ex obligatione enim contrahendi matrimonium, orta ex sponsalibus, sequitur jus justitiæ in sponso ad corpus sponsæ, & è converso; non quidem jus in re, sed jus ad rem, ut in prima probatione declaravimus. Unde

Ad secundum dico, sponso dando jus ad rem in corpus suum, hoc ipso se obligare ad nihil faciendum illicitè contra illud jus, quo alter justè offendatur, subindeque ad non tradendum corpus suum alteri, sicut traditur per fornicationem.

Ad tertium respondeo quòd licet votum simplex Religionis & sponsalia in hoc conveniant, quòd sicut votum simplex Religionis est promissio, votum verò solemne habet adjunctam traditionem; sic sponsalia habent rationem promissionis, matrimonium verò rationem traditionis; differunt tamen in eo, quòd per votum simplex Religionis, utpotè quòd fit soli Deo, Religio nullum jus justitiæ acquirit; at verò per mutuatam promissionem, quæ fit in sponsalibus, quilibet sponsus acquirit jus justitiæ, quamvis imperfectum, ad corpus alterius.

Ad quartum respondent aliqui cum Paludano, peccatum a sponsis fornicantibus commissum esse propriè adulterium, quia in 1. si uxor §. 3. ff. ad legem Juliam de adulterijs, dicitur, in sponsa etiam hoc idem peccatum esse vindicandum; quia nec matrimonium qualecunque, nec spem matrimonij violari permittitur.

Sed hæc responsio displicet, primò quia in 1. in §. 1. eodem titulo dicitur, adulterium propriè in nuptiam committi: Sed sponsa nondum est nupta: Ergo peccatum fornicationis cum ipsa commissum non est propriè adulterium.

Secundò, quia in cap. Lex illa 36. qu. 1. §. Cum ego, dicitur adulterium, violatio thori alieni: Ac fornicatio cum sponso vel sponsa non est thori alieni violatio, quia notudum eundem thorum habent: Ergo non est propriè adulterium. Nec Paludani sententiæ favet suprà dicta lex, si uxor, quia talis lex potius utrumque peccatum distinguit, adulterium scilicet, quo violatur matrimonium, & fornicationem sponsæ, qua spes matrimonij violatur. Unde dicendum est, tale peccatum reductivè solum pertinere ad speciem adulteri, sicut sponsalia reducuntur ad matrimonium, suntque matrimonium inchoatum.

ARTICULUS IV.

Quibus de causis sponsalia dissolvi possint?

Vix solent assignari causæ, ob quas sponsalia possunt dissolvi, aliquas in hoc articulo declarabimus, alias verò in sequenti.

In primis ergo sponsalia inter puberes contracta mutuo eorum consensu dissolvi possunt, ut docet D. Thomas hic art. 3. ad 5. & probat ex cap. Præterea 7. de sponsal. ubi Innocentius III. affirmat sponso, si se invicem admittere noluerint, resilire posse à contractu. Nec obstat quòd addit, posse hoc in patientia tolerari, ne pejus eveniat, quasi tantum id permittat ut minus malum. Nam rectè ibidem S. Doctor observat, Pontifex adduxit exemplum eorum, qui interposita fidei societatem inierunt, ait enim: Ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contra-

zzz

hant,

hant, & postea adinvicem sibi remittunt, &c. Sed i-
sti possunt licite & iure sibi praestitam fidem re-
mittere: Ergo & sponsi mutuo consensu licite
possunt à sponsalibus resilire.

84. Ratio etiam id suadet: Omnis enim contra-
ctus ex natura sua solubilis (cujusmodi est con-
tractus sponsalium) potest per easdem causas
dissolvi, per quas potest valide fieri, si ius superi-
us non resistat dissolutioni, ut hic non resistit,
sed potius expressè permittit capite citato: Sed
contractus sponsalium mutuo contrahentium
consensu fit: Ergo etiam mutuo eorum consen-
su dissolvi potest. Estque id verum, licet sponsa-
lia fuerint jurata, quia ut docet S. Thomas 2. 2.
qu. 89. art. 9. ad 2. quando iuramentum anne-
ctitur promissioni homini facta, pendet ab illa,
ut accessorium à principali, quo cessante, cessat
accessorium: igitur cessante promissione, vo-
luntate ejus, cui facta est, iuramentum amplius
non obligat.

85. Dixi autem, sponsalia inter puberes contracta,
quia impuberes, quamdiu tales sunt, non possunt
valide renunciare sponsalibus, ut habetur cap.
De illis de despons. impub. sed expectare debent
usque ad pubertatem, in qua possunt reclamare
& sponsalia dirimere, ut dicitur eodem cap. &
ante hanc aetatem nullus eorum dissensu a iure
admittitur. Quod merito statutum fuit, ne pro-
pter illius aetatis infirmitatem & incontinentiam
cum aliorum praedictio sponsalia semel con-
tracta frequenter mutarentur, & simul hac lege
providetur, ut si qua forte impuberes sponsa-
lia contraxerint, quae minus placerent aut expe-
dirent, maturiori iudicio, in nubili aetate ade-
pto, corrigere possent. Si tamen impubes spō-
salia iuramento confirmaverit, pubertatem a-
deptus, tenetur ea adimplere, ut constat ex cap.
Ex litteris 2. de sponsal. ubi Alexander III. man-
dat, compellendum esse quendam juvenem, cum
impuber sub iuramento cum puella impubere
sponsalia contraxerat, ad ea servanda; *quia pericu-
losum est* (inquit) *contra suum iuramentum veni-
re*. Iuri Canonico concinit civile l. *finale* ff. de li-
berali causa, ubi admittitur iuramentum impu-
beris, & ad illud servandū cogitur puber factus.

86. Secundò, matrimonium cum posteriori spō-
salia dirimit cum priori contracta, ut dehnitur
cap. Sicut, & cap. si inter de sponsal. & cap. 1. de
sponsa duorum. Quia nimirum quotiescunque
duo vincula concurrunt simul in eadem perso-
na, quorum nequit utrumque servari, fortius
prævalet: Sed fortius est vinculum matrimonij,
quam vinculum sponsaliorum: Ergo conjugali
obligatione superveniente sponsalitia cessat.

87. Sed difficultas est & controversia inter Theo-
logos, an quando alter desponsatorum contra-
hit matrimonium cum alia, uxore mortuā, tene-
atur priorem sponsam ducere, si ipsa velit, & ad-
huc innupta sit, subindeq; vinculum sponsalio-
rum tunc non extinguatur, sed tantūm suspen-
datur: Respondeo affirmativè, quia si obligatio
sponsalium tunc penitus extingueretur, vel id
esset ex natura rei, si iure ipso naturali, vel ex
dispositione juris positivi? Non primum, quia solo
iure naturali spectato fortius vinculum & impe-
dimentum superveniens non extinguit priorem
obligationem, sed tantūm eam suspendit. Nec
etiam secundum, quia iura cit. dicunt talem de-
bere in matrimonio contracto permanere, quā-
diu durat, eo durante, non teneri implere spō-
salia, quia matrimonium rescindere nequit.

A Confirmatur: Qui vovit ingredi Religionem
posteaque contrahit & consummat Matrimo-
nium, non propterea liberatur omnino ab voti
obligatione voti, sed tenetur mortuā uxore, religio-
nem ingredi. Item si promissus Petro agrum, religio-
nem postea tradidit Paulo, si Paulus eundem agrum
stamento seget, teneor illum Petro tanto pos-
sissionis restituere; cum res promissa & acce-
pitata semper clamet ad promissarium: Perma-
nens igitur sponsi, per sponsalium contractum po-
ssessio sponsae, & per Matrimonium cum alia
nuptum alienata, iterum sui juris facta, restituta
est priori sponsae, cui fuerat per sponsalia pro-
missa.

B Nec valet si dicas, quod quando aliquis vovit
religionem strictiorem, & proficitur laxiorem,
licet peccet proficendo laxiorem, tamen per so-
lemne votum laxioris, extinguitur votum sim-
plex strictioris: Ergo similiter, licet quini des-
ponsatus, Matrimonium inuit cum altera, pec-
cet, tamen per tale Matrimonium, obligatio vo-
ta ex sponsalibus omnino extinguitur. Non va-
let, inquam, concessio enim Antecedente, Con-
sequencia & paritas neganda est. Non valet enim
exemplum de voto strictioris Religionis; tum
quia de hoc est specialis dispositio juris cap. *De
post votum*, de regulis juris in 6. ubi Bonifacius
VIII. ad subveniendum hominum fragilitati, di-
spensat, ut votum simplex strictioris Religionis
commutetur in solemne laxioris. Tum etiam,
quia per simplex votum religionis, nullum ius
acquirunt Religioni, sed Deo tantum; & per
consequens ex parte strictioris religionis, nul-
lum ius laeditur, si in laxiori fiat professio: cum
vero desponsatus uni, Matrimonium contrahit
cum altera, laeditur ius sponsae per sponsalia ac-
quisitum, quod proinde perit rescindere, cum id
possibile est.

C Tertiò, ubi constitutio Tridentina de elande-
stino Matrimonio nondum est recepta, priora
sponsalia dissolvuntur per posteriora, copula
subsecuta, quia per subsequentem copulam po-
steriora sponsalia transeunt in praesumptum Ma-
trimonium, vi cuius priora dissolvuntur, non se-
cundum ac per quodcumque Matrimonium in facie
Ecclesiae celebratum; ut constat ex cap. *Si qui
solum*, de sponsal. praesumit enim ius eos maritali
affectu se cognovisse, & consensisse in Matrimo-
nium de praesenti, si bique invicem sufficienter
id manifestasse.

Si autem queras, an ubi receptum est Triden-
tinum, etiam posteriora sponsalia, subsecuta co-
pula, dissolvant priora? Respondeo quod si po-
sterior desponsata, per copulam sit damnosa
passa notabile, aut passiva infamiam, nisi cum ea
contrahatur Matrimonium, dissolvuntur priora
sponsalia, non ratione posteriorum, quae nulla
sunt, nec ratione praesumpti Matrimonij, cum
talis copula fornicaria sit, subindeque non possit
praesumi facta affectu maritali, sed ratione da-
mini quod posterior in iusto patet; ad quod
damnum reparandum vir magis obligatur,
quam ad implendam promissionem datam prio-
ri sponsae; praesertim cum ista, ut supponimus,
non aliud patiat damnum, quam non exhibi-
tionem rei promissae.

Quartò, pro fornicationem dissolvuntur spō-
salia, si iure fornicata fuerit, si iure sponsa;
Tum quia in sponsalitia promissione, quan-
tumvis jurata, semper subintelligitur haec
tacita conditio, nisi sponsa aut sponsus in legem
Matr-

matrim. nij peccaverit. Tūm etiam, quia si potest vir propter fornicationem uxoris iuste illam a se dimittere; a fortiori poterit sponsus propter fornicationem sponsæ illam ad se non admittere, ut ait Innocentius III. cap. *Quemadmodum de iurejurando*. Eademq; ratio est de sponso fornicante, quia quantum ad violationem sponsalitiæ fidei, sponsus & sponsa ad paria iudicantur, ut recte ait Panormitanus in cap. cit. num. 4. Si verò tam sponsus, quam sponsa fornicaverit, non sit propterea inter ipsos delictorum compensatio, sicut inter conjuges adulterantes, sed sponsus fornicans sponsam fornicantem dimittere potest, quia inter imparia delicta non cadit compensatio: ac sponsus & sponsa fornicando non sunt in pari delicto, cum in ordine ad matrimonium longè gravius crimen sit sponsæ, quam sponsi fornicatio, sed quod major infamiae nota sit sponsi fornicanti sponsam uxorem ducere, quam sponsam fornicanti sponso nubere. Unde diversâ est ratio de fornicatione a sponsis commissa, quam de adulterio a conjugibus patrato; quia in adulterio spectatur fides conjugalis, quæ æque a viro, ac ab uxore frangitur, cum æque uterque ad eam servandam per matrimonium se obligaverit: in fornicatione verò a sponsis commissa non solum spectatur fidei violatio per sponsalia promissa, sed etiam infamia, quæ ex ea sponsis resultat: hæc verò longè major, ut diximus, ex fornicatione sponsæ in sponsum, quam ex fornicatione sponsi in sponsam, derivatur.

Quod diximus de fornicatione corporea, eam nimirum esse causam efficientem ad dirimenda sponsalia, dicendum est cum proportionem de fornicatione spirituali, per hæresim, vel apostasiam; sufficientem enim causam sponsalia dissolvendi præbet sponsus, vel sponsa hæresim amplectens; cum propter periculum pervertendi sponsi Catholicis: tum propter periculum nefuturæ proles patris & matris hæresi inficiatur.

62. Quinto, Sponsus sufficientem habet causam sponsalia dissolvendi ex eo tantum, quod sponsa fuerit per vim absque ipsius culpa ab alio rapta; cum hic non tantum attendatur ad culpam, sed etiam ad infamiam, quæ in eo casu in sponsi personam redundat; magnum enim dedecus sponsi est, habere uxorem ab alio, etiam sine ipsius culpa, cognitam.

63. Sexto, dissolvuntur sponsalia per discessum unius ex sponsis sine consensu alterius in regionem remotam, cum mutatione domicilij. Tunc enim licitum est parti relicte contrahere cum alio, ut dicitur cap. 5. de sponsal. ubi Alexander III. ea de re consultus ab Archiepiscopo Panormitano, sic illi respondet: *De illis, qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducituros, & postea eis incognitis dimittunt terram se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoscere, quod liberum erit mulieribus istis, si non est amplius in facto processum (hoc est si non sit vel de præsentis matrimonium contractum, vel carnalis copula subsecuta) ad alia vota se transferre.*

64. Ratio etiam suffragatur: nam hoc ipso quod sponsus in longinquas partes domicilium transfert, ex parte sua censetur a sponsalibus resilire, ac proinde sufficientem causam alteri præbet, ut possit alij nubere, seu ut loquitur Pontifex, ad alia vota se transferre.

65. Dices: L. 2. Cap. de sponsal. dicitur, quod si sponsus ablit a sponsa, sed in eadem provincia,

Tom. V.

atenebitur sponsa biennio expectare, quo elapso alij nubere poterit. Si verò ablit in diversa provincia, tenebitur expectare triennio l. 2. de repudijs. Quæ lex etli non loquatur expresse de absentia in diversa provincia, de ea tamen intelligunt communiter juris Interpretes, idque docet utraque Glossa. Si autem causa absentiae sit necessaria, expectandum est ultra quadriennium, & amplius, ait lex penultima ff. de sponsal. ubi Cajus Jurisconsultus sic loquitur: *Sapè iusta ac necessaria causa non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium, & quadriennium, & ultra trahere sponsalia possunt, veluti valetudo sponsi, sponsæ, vel mortis parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate sunt.* Ergo talium est dissolvi sponsalia propter absentiam sponsi in partes remotas.

Respondet Pontius lib. 12. cap. 15. jus Civile non opponi juri Canonico, quia jus Canonicum loquitur de eo, qui se cum domicilio alio transulit, jus verò civile de eo, qui ex causa necessaria alio migravit.

Sed contra: Citata lege 2. de repudijs sic dicitur: *Liberum est filia tua, si sponsum suum post tres peregrinationis annos expectandum sibi ultra non putet, omnia spe hujusmodi conjunctionis, matrimonium facere, ne opportunum nubendi tempus amittat.* Ubi nulla mentio facta de causa necessaria absentiae sponsi, decernit sponsam non obligari ultra triennium illum expectare: Ergo etiam in causa non necessaria jus Civile requirit, ut sponsa triennium expectet, antequam ad alia vota transire possit; cum tamen jus Canonicum nullum petat determinatum tempus, sed permittat sponsæ ad alia vota transire, mox ut illi constiterit de discessu sponsi in partes longinquas sine spe proximi reditus. In cujus confirmationem supplementum Gabrielis qu. 2. ar. 2. casu 3. refert hunc casum: Dūm quidam reus suspendendus esset, virgo quædam, ut illum a præsentis morte liberaret, sibi in sponsum dari petijt, cum quo contractis de futuro sponsalibus affugit; nec diligenter questus, amplius inveniri potuit. Sponsa ad iudicem Ecclesiasticum accurret, facultatem petens, ut cum alio contrahere possit. Cujus voto indultum est non expectatō biennio, lege civili præscripto. Unde

Melius responderetur cum Navarro, Panormitano, Covarruvia, Soto, Sanche, & alijs, iuris Canonici dispositionem in hac materia diversam esse à dispositione juris civilis, jusque Civile per Canonicum corrigi; & in causis matrimonij magis standum esse dispositioni juris Canonici, quam Civilis; cum enim matrimonium in lege Evangelica habeat rationem Sacramenti, decisio controversiarum ad illud spectantium magis pertinet ad iudices Ecclesiasticos, quam seculares. Unde in Tridentino sess. 24. can. 12. controversiæ matrimonij committuntur iudicibus Ecclesiasticis, qui supponuntur Canonum peritiam habere.

Si autem quæras, cur hac in parte discordet utrumque jus, & cur jus Canonicum statim sponsæ facultatem faciat cum alio contrahendi, quando non est spes de proximo reditu sponsi; jus verò Civile jubeat sponsam biennio reditum sponsi expectare, si sit in eadem provincia, & triennio, si in diversa provincia commoretur? Respondeo cum Panormitano & alijs, jus Canonicum per hoc intendere, vitare periculum fornicationis, quod incurere posset spon-

Zzz 2

sa,

sa, si diutius deberet expectare: ius verò Civile in sponsalibus, uti & in reliquis contractibus, publicam duntaxat utilitatem attendere, nec bonum aut damnum spirituale ipsius sponsalium respicere, sicut ius Canonicum.

69. Septimò dissolvuntur sponsalia per lapsum temporis matrimonio contrahendo præfixi, tunc enim pars, cui fides servata non fuit, libera manet, ut colligitur ex cap. *Sicut ex litteris* de sponsalibus, ubi Innocentius III. loquens de viro, qui post sponsalia cum una, diu post contraxerat matrimonio cum altera, jubet eum convenienti penitentia mulctari, quia primam fidem irritam fecit. Nisi sponsum in iuramento suo sponsalibus apposito, certum terminum, intra quem dictam N. duceret, in uxorem præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum, matrimonium consummaverit. Quibus verbis declarat Pontifex, hunc liberum esse a sponsalibus, modo per eum non steterit, quin præfixo termino matrimonium celebratum fuerit.

70. Utrum in hac decisio Pontificis melius percipiat, & concilietur ius Canonicum cum Civili, & cum lege *Cassus* ff. de receptis arb. ubi Jurisconsultus decidit, non eo ipso quod præfixo termino debitum quis non solvit, etiam si per ipsum non steterit, liberari ab obligatione solvendi. Diligenter observandum est, duobus modis posse sponsum terminum contrahendi matrimonium sibi præfigere. Primò ad sollicitandam obligationem sponsalium contractus antea jam conclusi; & tunc temporis lapsu non solvitur obligatio celebrandi matrimonium. Secundò ad instar conditionis, qua non subsistit, si ta, dissolvatur prior contractus, & finitur obligatio, ita ut ultra non remaneat, sicut fieri solet in votis, aut præceptis designantibus onus aliquod diei, & tunc per lapsum temporis solvitur obligatio orta ex sponsalibus. Declarat igitur Pontifex, quod si hoc secundo modo fuit terminus à sponsis præfixus, non esse viro, qui post datam fidem priori, cum alia contraxit, penitentiam imponendam, subindeque dissolvi sponsalia per lapsum temporis, hoc secundo modo præfixi. Lex verò *Celsus* solum intendit, quod quando terminus solvendi debitum fuit præfixum ad sollicitandum obligationis implementum, eo elapso, obligatio solvendi non extinguitur: Nam in hoc (inquit §. 2.) sunt duo præcepta; unum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari.

71. Advertendum est etiam cum Basilio Pontio lib. 12. cap. 18. num. 4. communiter præsumendum esse, talem fuisse sponsum, certum terminum sponsalibus præfigentem, intentionem, ut voluerint elapso tempore finiri obligationem; quia nolunt contrahentes diutius obligari & expectare, cum ex longa mora sæpè imminet periculum amittendi occasionem melius nubendi, vel incidendi in fornicationem. Unde Glossa in citatum caput *Sicut*, sic ait: Quia matrimonium non capit tantam dilationem propter periculum fornicationis, ideo ubi terminus apponitur, ultra terminum ad contrahendum non tenetur.

72. Octavò dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum dirimens, propter quod scilicet sponsi nequeunt valide contrahere matrimonium, ut si alter sponsum copulam habeat cum consanguineis alterius in primo, aut secundo gradu, ex quo oritur impedimentum affinitatis irritans matrimonium; vel si sponsus contrahat cum sponsa cognationem spiritua-

lem, filium ejus de sacro fonte, vel de sacro fonte suscipiendo; impedimentum enim matrimonium dirimens à fortiori dirimit sponsalia, quæ sunt ad matrimonium dispositio.

Notat verò Basilius Pontius lib. 12. cap. 17. post Hostiensensem, Rebellum, Toleum, & alios, non solum impedimentum dirimens, certum, sed etiam publicam famam vulgatum, sponsalia dissolvere; magnum quippe causarent in populo scandalum, si inter tales contraheretur matrimonium.

Si autem quæratur, an qui contraxit tale impedimentum, teneatur petere dispensationem à Respondeo tenei, quando impedimentum in culpa contraxit, quia si sua culpa factum est, non potens in præjudicium alterius, teneatur impotentiam à se tollere, ut alteri in iure laeso satisficiat; secus verò, quando impedimentum in culpa contractum non est, ut si sponsus sponsam in extrema necessitate baptizet.

Dixi autem notanter, impedimentum dirimens superveniens sponsalibus, ea dissolvere, quæ impedimenta solum prohibentia matrimonium non irritant sponsalia, excepto voto simpliciter factis, de quo dicemus articulo sequenti.

Nonò, Omnis causa rationalis subsequens sponsalia, quæ si præcessisset, impedisset communiter & merito personas prudentes & boni sensus, ne contraherent, dissolvit contractum, ut patet ex cap. *Quemadmodum* de iurejurando, ubi causæ jurata sponsalia dissolvendi recensentur, lepra, paralytis, oculorum aut narium illudem dicendum de phisicis, aut periculosis morbis, reddente notabiliter inidoneum ad debitum conjugale solvendum. Addunt aliqui oris malevolentiam, quando medicorum arte tolli non potest. Notabilis etiam morum asperitas, vel vitia alterius, si post contracta sponsalia cognita fuerit, est causa sufficiens ad ea dirimenda. Item notabilis mutatio in divitiis, vel nobilitate tam ac estimationis iactura, & graves inimicitie inter sponsum parentem, quæ ex matrimonio future timeantur, iustam & sufficientem causam præbent sponsalia dissolvendi. Demum, quæ sufficienti ad divortium inter conjuges obtinendum, à fortiori sufficienti ad dirimenda sponsalia.

Decimò, Omnis causa, quæ supervenit sponsalibus, sufficiens est ad ea dirimenda, etiam præcedens, probabiliter ignorata, erit sufficiens, ubi cognita fuerit, ad ea dissolvenda, habet enim de se quod sit causa sufficiens ad ea dirimenda, solumque requiritur cognitio, ut condicio applicans obiectum. Dixi probabiliter ignorata, quia si facile potest à contrahente sciri, etiam non cognoscendo, censetur juri suo cessasse, subindeque non poterit postea eam allegare ut sufficientem ad sponsalia dissolvenda.

ARTICULUS V.

An per solum ingressum in Religionem, & per simplex votum castitatis, sponsalia dissolvantur?

Certum est, sponsalia dissolvi per professum in Religionem approbatam, obligatio enim sponsalium non est tanta, quanta est obligatio matrimonij jurati, quamvis noudum con-